

CÆLESTE
PANTHEON,
SIVE
CÆLUM NOVUM,
IN FESTA ET GESTA
SANCTORUM

TOTIUS ANNI.
Morali doctrina, ac profana Historia
variè illustratum

Per R. P. HENRICVM ENGELGRAVE,

Societatis JESU Theologum.

*In hac sexta editione ab ipsomet Auctore recognitum, correctum, auctum,
nova, insuper in nova Festa materia suggesta.*

PARS PRIMA.



26542



Sumptibus COLONIAE AGRIPPINAE,
HERMANNI DEMEN, Anno M. DC. LXXX.
Cum Privilegio Sac. Casaræ Majestatis.

ILLUSTRISSIMO AC

Reverendissimo Domino,

D. ANDREÆ

CRUESEN,

V. ARCHIEPISCOPO


MECHLINIENSI,

BELGII PRIMATI.



Iccat mihi, ILLUSTRISIME PRÆSUL, de
Te Belgii *Primate*, quod olim Philoso-
phus Romanus de Urbis Principe usurpa-
vit: *Tibi non magis quàm SOLI latere con-*
tingit: eo quæ lucem spectant, hæ tenues lucubra-
tiones meæ, non tam in cœli, quàm mentis nocte
conceptæ, queunt illuminari. PANTHEON il-
lud vetustum, quod Plinius *inter pulcherrima ope-*
rum recensuit, infame quondam Deorum delu-
brum, nunc *DIYVM DOMVS*, supernè uni
SOLI patet; vidisti. Habes & inter illos hîc, AN-
DREÆ, in quo Tuam videas effigiem, rudi quidem

*Sensu l. v.
de Clemen.
c. 2.*



FESTVM

CIRCUMCISIONIS

DOMINI.

Vocatum est NOMEN EIVS IESVS. Lucæ 2.

EMBLEMA I.

Genius qui nomen IESV, cortici arboris insculpit.

Pulchrum properat per vulnera NOMEN. Virg. 9. Aeneid.

ARGVMENTVM.



Hoc optatissimo anni exorientis auspicio, nomen illud *amabile*, nomen *laudabile*, nomen *admirabile*, nomen *super omne*: augustissimum, inquam, JESU Nomen, vobis in Strenam propono, omnium linguis celebrandum, calamis exarandum, cordibus efformandum: Amantum more, & amore, qui ut suorum, quos ardent, nomina cortici; haud secus meliori flammâ incensi, JESUM corpori, IESUM cordi insculpsere. Ubi quam maximè ridenda, vel potius deslenda, sese cum primis objicit, mortalium cæcitas: qui omne ingenium, studium, solertiam contulere ut inane nomen suum posteris commendarent; quod vel chartis, & codicibus inscriptum, flamma absumpsit; aut marmoris incisum, vetustas abolevit: aut ipsis superbis substructionibus, & Mausolæis insculptum, invidia obfuscauit, livor subvertit. Atque hi omnes qui *vocaverunt NOMINA in terris suis*, non secus ac Babylonii, qui dixerunt: *faciamus nobis civitatem, & turrim, & celebremus NOMEN NOSTRUM*, turpiter decepti sunt. At qua ratione quis veram nominis sui immortalitatem consequi queat, hodierna luce vobis comprobabo.

*Psal. 48.
Gen. 11.*

- §. I. *Majori cura & labore adnitendum ut SS. nomen Domini celebretur, quam cæci mortales studeant, ut inane suum nomen amplificent.*
- §. II. *Exemplo JESU, qui verè JESUS & Salvator fuit, nomina nostra præclaris factis, & heroicis virtutibus comprobanda, ut secundum NOMEN, sic & laus. Psal. 47.*
- §. III. *Extremo spiritu, SS. nomen JESU ingeminare.*